

CG 3

15380

Led.

Sammelband III

Heretici <sup>in duobus libris com-</sup>  
<sup>pendit.</sup>

A.  
Anabaptiste  
Antitrinitarij.  
Arius.

B.  
Basilides

C.  
Caius  
Cerinthius

E.  
Eutyches  
Ebion

F

G

M.  
Monothelites

N.  
Nestorius  
Noëtianus

O

P.  
Photinus  
Praxeani, Petripassiani.

e  
r

S.  
Samosatenus  
Sabellianus.

T  
V  
W  
X  
Z

Somini obijt 1586

2.

ORATIO  
DE ORIGINE, CON-  
SECRATIONE, MIRAN-  
DA PROPAGATIONE, ET CON-  
SERVATIONE SCRIPTVRÆ DIVL  
NITVS INSPIRATAE.

Timothei Kirchneri Theol: D.





CLARISSIMO DO-  
CTRINA PIETATE ET SA-  
PIENTIA PRAESTANTISSIMO VIRO,  
DOMINO DAVIDI SCHIEFERDECKERO

V. I. DOCTORI, ILLVSTRI'S ET GENERO.

Si Domini, Domini VVilhelmi, Comitis à Schuartzburg,  
C. Consiliario C. Domino & Patrono suo,  
reuerenter colendo.



EMORABILIS EST SENTENTIA

Chrysostomi, quæ extat in Homelia quadam in Epistola ad Colossenses scripta, in qua suos auditores his verbis exhortatur, inquiens: Audite obsecro seculares omnes, comparete vobis Biblia, animæ Pharmacæ. Si acciderit mœsticia, huc velut Apothecam Pharmacorum introspicere: hinc tibi sume solamen mali, siue damnum euenerit, siue mors, siue amissio domesticorum: imo non introspicere solum: Sed omnia iterum atq; iterum versa, menteq; illa contine. Hæc demum omnium malorum causa est, quod scripturæ ignorantur: Sine armis bellum ingredimur, & quomodo seruari possumus? Armati vincere seruariq; solent, inermes nequaquam &c. Primum enim monet, vias Politicis & in gubernatione versantibus non negligenda esse sacra Biblia, sed summo studio comparanda, quia animæ Pharmacæ saluberrima contineant. Ut enim prudentes & fragilitatis humanæ haud ignari homines, propter varietatem morborum, quibus corpora humana obnoxia sunt, in tempore & dum adhuc recte valent, sollicite inquirunt & comparant remedia, eaq; reponunt & adseruant, vt ingruentibus morbis ea opponere, & quantum in ipsis est, occurrere, ac infirmitates quibus iusto Dei iudicio onerati sunt, profligare, integramp; valetudinem recuperare possint. Ita Chrysostomus vult singulis vere pñs & quidem etiam secularibus seu Po-

A 2 liticis

Uicis, ut vocant, operam dandam esse, ut & Sacra Biblia tanquam  
animæ Pharmaca sibi comparent, ut ingruentibus temptationibus  
peccati & mortis, & irruentibus morbis ac miserijs in promptu ha-  
beant remedia, quibus temptationibus & miserijs illis mederi, & om-  
nem aduersam fortunam fide & meditatione scripturarum vincere  
& superare possint. Sine hac enim Spiritus Sancti Apotheca, tenta-  
tiones vincere, & calamitates huius ærumnosæ vitæ superare velle,  
perinde est, ac si quis sine Pharmacis congruentibus grauissimos  
morbos curare conetur, & absq; pane latrantem, quod dicitur, ven-  
triculum exsaturare velit. Experti hoc sunt omnes sapientissimi ho-  
mines in mundo, inde usq; ab initio: Etenim si omnium gentium ac  
populorum historias percurras, inuenies, omnes tandem cum sa-  
pientissimo viro Cicerone exclamasse. Ego tentatis rebus omnibus  
nihil inuenio, in quo acquiescam. Certe morsus & vulnera conscienc-  
iarum Philosophicis consolationibus non sanantur. Nemo inquit ille  
apud Senecam, queat polluto animo mederi, morte piandum est sce-  
lus. Quod verò ad reliquas miserias huius mortalis vitæ attinet, et si  
Philosophia humana utcunq; aliqua remedia monstrat: tamen quam  
frigida, inefficacia & vana ea sint, summi viri in suis ærumnis pro-  
pria experientia didicerunt. Praeterea quidem dicuntur illa: Ne-  
cessitati esse parendum, virtutem dolori anteferendam, colligenda  
esse exempla aliorum, qui in magnis miserijs versati sunt &c. Verum  
quando animus obrutus est doloribus & sensu calamitatum, nu-  
llam solidam medicinam perturbatis adferunt, nullam firmam & ef-  
ficacem consolationem contritis cordibus suppeditant. Cato Ut-  
icens aliquoties legit librum Platonis de immortalitate Animæ, sed  
tandem abiecit libro, cum nullam efficacem medicinam, inde percip-  
peret, sibi violentas manus intulit. Sic alij summi viri apud Ethni-  
cos cum nullam firmam consolationem in ærumnis nouissent, tan-  
dem magnitudine dolorum exticti fuerunt: Econtra quibus nota  
fuerunt Sacra Biblia in summis suis miserijs, habuerunt tranquillos  
animos, placide & eleganter calamitates præsentes tulerunt, &  
quod sapientibus huius seculi incredibile videtur, in maximis suis  
ærumnis gloriati sunt spe gloriæ Dei, scientes quod tribulationes  
essent non iræ excandescentis indicia, sed paternæ castigationis &  
miserie

misericordiæ infallibilia signa, & quod calamitates huius vitæ quantum graues, non possent credentes in Christum à dilectione Dei quæ in Christo Iesu est separare. Deniq; quod diligentibus Deum omnes afflictiones in bonum cooperarentur. In primis autem observatione dignum est, quod Sacra Biblia, præ omnibus omnium Philosophorum scriptis & Bibliothecis tria remedia proponunt, quæ non solum cicatricibus, verum etiam atrocibus vulneribus perturbatarum conscientiarum efficaciter medentur, verbi causa, promissionem gratiæ seu reconciliationis cum Deo, & gratuitæ remissionis peccatorum per & propter Christum. Quantacunq; sit calamitas, tamen certum & immotum manet iuramentum diuinum, Vnuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed volo ut conuertatur & viuat. Item confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Iniquitatum tuarum non recordabor amplius. Si peccata vestra fuerint ut coccinum, sicut nix dealbabuntur, & si rubra fuerint, ut vermiculus, erunt candida sicut lana. Item. Ego deleui quasi nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua, reuertere ad me, quia redemi te. Conscientia enim in ærumnis vel maxime angitur de peccatis & ira Dei. Accepta autem consolatione illa, quod peccata remissa sint, quod Deus non amplius irascatur, licet castiget, facile tolerat crucem, placide fert tribulationes, gloriatur in ærumnis, & dicit, ingruant sane miseriæ, irruant in me fluctus tentacionis, cum habeam Deum propicium, nihil eculo cætera. In Christo Iesu seruatore vincam omnes calamitates. Deo gratia, qui dat mihi victoriam per Iesum Christum. Totius enim fiduciæ & consolacionum diuinarum certitudo, consistit in pretioso sanguine Iesu Christi filij Dei, seu in redemptione quæ facta est per Christum Iesum Dominum nostrum.

Deinde promissionem præsentiae & auxiliū Dei in tribulatione. Cum ipso sum in tribulatione inquit Dominus in Psal: 91. Esai: 41. Seruus meus es tu, te elegi & non abieci te. Me igitur timeas, quia ego tecum sum, non languebias, quoniam ego sum Deus tuus, ego confortavi te, & adiuui te, atq; suitentauit te dextera iusticie meæ. Et iterum, ne formides vermis Jacob, & viri Israel. Ego adiuui te, dicit Dominus &c. Iesai: 43. Si transieris per aquas, secum ero &

A 5

flumina

Veroūm dei  
tria proponit  
multamq;

flumina non operient te, si ambulaueris in igne, non combureris,  
& flamma non ardebit in te &c. Iesai: 46. Vos portamini in Vtero  
meo, gestamini in mea alio, usq; ad senectam & usq; ad caniciem ego  
ipse portabo, ego feci, ego feram, ego gestabo & saluabo.

34 Tertio, spem ultimæ liberationis & glorificationis in vita æterna. Psal: 16. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebit me lætitia in  
vultu tuo, delectationes in dextera tua usq; in sempiternum. Psal: 22.  
Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui re-  
quirunt eum, viuent corda eorum in seculum seculi. Psal: 68. Bene-  
dictus Dominus, quotidie imponit nobis onus, & tamen est salus  
nostra. Deus noster est Deus ad saluandum, & Dominus educens  
ex morte. Iesai: 51. Redempti à Domino reuertentur, & venient in  
Sion cum cantico, erit q; gaudium perpetuum super caput eorum,  
& apprehendent lætitiam & exultationem fugato dolore & mo-  
rore. Ego ego sum consolator vester &c. Iohan: 11. Ego sum re-  
surrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet, &  
omnis qui viuit & credit in me non morietur in æternum. Et Ioha-  
n: 10. Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; ra-  
piet eas quisquam è manu mea. Et Iohan: 5. Ut omnis qui credit in  
eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Hiob: 19. Scio quod  
redemptor (Goel) meus viuit, & in nouissimo die de terra surre-  
sturus sim: Et rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea vi-  
debo Deum: Quem visurus ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt,  
& non aliis, reposita est hæc spes mea in sinu meo, &c.

Hæc inquam tria maxime salutaria & efficacia remedia, in nullis  
Philosophorum & sapientum huius seculi scriptis inueniuntur, in  
solis vero Biblijs monstrantur. Quin igitur sacra Biblia ab omni-  
bus comparanda, nocturna diurnaque manu versanda, & inde salu-  
berrima illa Pharmaca petenda sint, nemo sanus deinceps dubita-  
bit. Et hinc etiam patet, quamobrem Chrysostomus omnes etiam  
seculares ad comparanda & euoluenda sacra Biblia, tam accurate  
exhortetur.

Secundo, haud obscure innuit, ignorationem scripturarum  
omnium malorum causam esse, & impossibile esse ut victoriam de  
Diabolo reportemus, nisi armis Biblicis instructi, bellum cum Sata-

ria ingrediamur &c. Nulla enim tam leuis tentatio est, qua diabolus nos non prosternere & cuertere possit, si inermes, hoc est non instruti dictis sacræ scripturæ cum eo decertare velimus aut debeamus. Non dicam in præsentia de Ethniciis, quos tanquam mancipia sua captiuos detinuit, & ex uno scelere in aliud præcipites egit, de Ecclesia Christi saltem paucula producam documenta.

An non primi parentes amiserunt victoriam, quod absq; verbo Dei cum infernali serpente dimicarent? Nunquid David & omnes Sancti experti sunt, cum Satana absq; scripturis belligerari velle, perinde esse, ac si inermis cum armato exercitu congregati velit, & victoriam se inde reportaturum esse præsumat. Aliquoties illa vox in Psal: 119. inculcatur, Nisi lex tua consolatio mea, iamdudum perhsem in meis miseris. Mirum non est, quod quotidie tot homicidia, adulteria, furta, rapinæ, & alia infinita scelera patrantur à securis & prophanis hominibus, cùm verbum Dei partim alto supercilium contemnant, partim securissime viuant, & rarissime Sacra Biblia inspiciant, euoluant, legant, dicta scripturæ sibi inculcent, repetant, ignitis Satanae telis obhiant, & se ad acerrimum illud prælium cum Satana obeundum præparent, armis necessarîs corda præmuniunt, & subinde meditentur, quanta circumspectione sibi opus sit, vt potentissimo illi hosti resistere, & nefarîs eius artibus salubri diligentia occurrere possint. In Summa dies me deficeret, si eorum exempla non dico numerando percensere; sed tantum paucis attingere velim, quos prostrauit euertitq; mille opifex fraudum Satanas, scelerumq; magister & autor, quod negligenter in lectione & meditatione Sacrorum Bibliorum versarentur. Examinet unusquisq; seipsum, & cogetur fateri se multoties à Satana in horrenda peccata præcipitatum fuisse, priusquam id vel animaduertere posset, quia tunc lectio nem & meditationem dictorum scripturæ vel seposuerat vel certe alii prophanis & secularibus cogitationibus indulgebat. Sed in re manifesta, non opus est longa probatione,

Hisce & alii similibus causis commotus ego meis auditoribus & discipulis subinde lectionem & meditationem Sacræ Scripturæ quam potui accuratissimè commendare consueui. Et ea occasione

sione oratiunculam hanc de Origine, Consecratione, miranda propagatione & conseruatione scripturæ diuinitus inspiratæ initio conscripsi, & postea in celebri Academia Iulia, quæ est Helmsteti (cui omnia fausta & felicia precor) cum denuo instituerem repetitionem doctrinæ Catechetice recitaui, ut ansam eis præberem aliquanto accuratius de sacris Biblñs diuinitus inspiratis, eorumq; dignitate, amplitudine, præstantia & præexcellentia, præ alijs omnibus scriptis humanis, licet præclare doctis, cogitandi.

Etsi autem scriptorum meorum squalorem ipse agnosco: tamen scio, quod labor meus non fuerit irritus & inanis in Domino, id quod auditores & discipuli mei charissimi, qui me docentem audierunt, testari poterunt. Cumq; iam eam edere vellem, potissimum Præst: T. inscribendam & offerendam esse duxi, idq; propter has causas. Reipsa enim cognoui Præstantiam tuam serio affici lectione sacrorum Bibliorum, & scripturas diuinitus inspiratas pro summo & amplissimo suo thesauro habere, charissimos etiam liberos ad meditationem dictorum scripturæ, & canticum Sacrorum hymnorum diligenter adsuefacere, Conciones sacras sedulo frequantare, domi de rebus diuinis libenter cum alijs conferre, euoluere etiam scripta D. Lutheri & magnificere, & quod ego in primis magnum duco, ministerium verbi ita venerari, ut à conuersatione priorum verbi ministrorum, quos mundus alioqui auersatur & detestatur, haudquaquam abhorreat. Deinde quod Præst: T. præter omnem expectationem meam in amicorum numerum me licet indignum & miserum receperit, & insuper præclaro beneficio adficerit, quod dum vixero Deo dante, grata mente prædicare non desinam. Fateor oratiunculam hanc squalidiorum esse, nec etiam conscriptam, vt Præstant: T. polito & aliorum quoq; exacto iudicio satisfacere possit. Verum quia de Præst: T. eam concepi spem, quod non ad munusculi huius tenuitatem, sed potius ad animum offerentis respiciat (cupio enim vel aliquo saltem signo, meam erga Præst: tuam declarare gratitudinem) persuasum habeo, idq; exploratum omnino duco, inscriptionem hanc Præst: T. haud ingratam esse futuram. Bene in Domino valeat Præstant: tua, cum honestissima

fima coniuge & liberis dulcissimis, & me sibi deinceps quoq[ue] com-  
mendatum habeat. Erfordiae. 30. Aprilis, Anno Salutis, M. D.  
**LXXIX.**

Præstant: T.

addictiss:

Timotheus Kirchnerus, D.



B ORA

# ORATIO DE ORIGI- NE, CONSECRATIONE, MIRANDA PROPAGATIONE, ET CONSERVATIONE SCRIPTVRÆ DIVINITVS INSPIRATAE.



NITIO ÆTERNO DEO PATRI DO-  
mini & Seruatoris nostri Iesu Christi toto  
pectore gratias ago, quod pro ineffabili sua  
bonitate, ex arcana sua sede prodiens se gene-  
ri humano dato certo verbo, & illustribus tes-  
timonijs obsignato, patefecit, & illud ipsum verbum,  
in quo tam seueram quam propitiam voluntatem suam  
omnibus mortalibus declarat, hucusq; tam clementer &  
benigne, contra tot Diabolorum & hominum furores  
conseruauit. Ac eundem toto pectore ac ardentibus ges-  
mitibus per & propter Filium Dominum nostrum Ies-  
sum Christum supplex oro, ut deinceps quoq; paternæ  
conseruare, & animos nostros flectere dignetur, ut agni-  
tam veritatem constanter tueri, præclarumq; depositum  
ad posteros incorruptum trasmittere omni contentione  
omnibusq; neruis seriò annitamur. Tegat etiam umbra-  
manus suæ omnes Politias, quæ præbent hospitia trans-  
quilla ærumnosis Ecclesijs & Scholis. Postremò regat  
studia & disciplinam iuuentutis, ut sint plantulæ Deum  
celebrantes in horto coelesti, Amen.

Postquam hæc pia vota præmisi usitato & recepto  
Scholarum more in repetitionem doctrinæ Catecheticæ  
aliquid præfabor.

Adferam autem materiam utilem & non ingratam,

vt

ut spero huic celebri auditorio. Admirandum est Dei beneficium collectio Ecclesiae ex genere humano ab initio mundi quæ sit per ministerium verbi Prophetici & Apostolici. Non minus mirandum Dei beneficium est & in omni æternitate celebrandum, quod sese non solum inde usq; ab initio generis humani voce & illustribus testimonij patefecit, sed etiam patefactiones illas, quibus voluntatem suam vniuerso orbi ostendit, literis mandari voluit, ac in confusionibus mundi, regnum ruinis, migrationibus gentium, saevis persecutionibus, astutis Sathanæ molitionibus, qui toties conatus est codicem Sacrorum Bibliorum funditus abolere, miranda prouidentia & immensa bonitate protexit.

Hæc ingentia miracula sæpe & attentè cogitanda esse omnes sanū ut spero mecum fatebuntur.

Etsi autem saluberrimum studium est, & longe fructuosissimum attento animo considerare omnes gradus testimoniorum certitudinis doctrinæ Christianæ, quorum decem plerūq; numerari solent, videlicet, Antiquitas, Miracula inimitabilia diabolis, Vaticinia Prophetarum, Ipsum genus doctrinæ prorsus ignotum humanæ rationi, multitudo testium, qui omni exceptione maiores extiterunt, Testimonium conscientiæ seu experientiæ verè piorum, Series Doctorum in Ecclesia, pœnæ impiorum seu hostium veræ Ecclesiae, furor Satanæ ardenter & rabiosius insidiantis huic doctrinæ, & designiq; miranda scriptio & conseruatio Ecclesiae & libri istius, qui solius Ecclesiae proprium & longe preciosissimum thesaurum continet: tamen in præsentia, ut breuitati studeam, & huic celebri auditorio nimia prolixitate non molestus sim, tantum de postremo gradu disturus sum, & quidem non quantum debebam, sed quantum iciam & potero, videlicet de Origine Scriptis

B 2 one

Testimonia.  
vna Certi  
tudines do  
ctrinæ Chris  
tianæ.  
10

one & miranda conseruatione scriptorum Propheticorum & Apostolicorum ab exordio generis humani usque ad hæc præsentia tempora in tam varijs & multiplicibus doctrinarum confusionibus & regnorum ruinis. Quæ de re ut me differentem, seu balbutientem verius, placide audiatis, amanter & submisse peto. Res est longe omnium maxima & grauissima de qua dicturus sum, & quæ recte considerata in pijs pectoribus, sine dubio relinquet stimulos aculeosq; timoris Dei, gratiarum actionis, & inuocationis æterni patris. Sed ad rem ipsam Deo iuante accedo.

Prima autem & omnium antiquissima ratio scribendi verbum Dei, ab ipso Deo fonte & Origine omnis boni inuenta est & usurpata. Nam in creatione hominis pro sua inexhausta ac ineffabili sapientia æterna illa Maiestas miranda bonitate legem seu normam voluntatis suæ, iuxta quam à creatura rationali coli & celebrari voluit, mentibus humanis impressit. Huc enim Moses digitum intendit, cum inquit, Hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum esse. Ac si primi nostri parentes in integritate sua perstitissent, non opus fuisset illa alia scriptio, nullis omnino librī. Nam fulsisset illa inscriptio manu Dei omnipotentis effigiata perpetuo in nostris pectoribus, & fuisset quasi tabula quædam, & liber non obsignatus sed apertus, in quo quid Deus à nobis fieri vellet non solum legere, sed & magna animorum alacritate potuissimus facere. Postquam vero Satan hostis generis humani, qui illam beatitudinem & fœlicitatem nobis inuidebat, sua calliditate & παντελία scriptio, illā obliterauit & erasit fere vniuersam, & homo illa sanctissima Epistola, Spiritu viuentis Dei scripta, spoliatus est, extrema necessitas nostra exegit, ut aliam rationem propagandi & conseruandi verbum & voluntas

voluntatem suam æterna illa & ineffabilis Maiestas in-  
stitueret.

Etsi enim æternus Dei Filius ex arcana sua sede pro-  
diens, (Genes: 3.) protulit arcanum decretum & consi-  
lium Sanctæ Trinitatis de redemptione generis humani,  
prolapsi in peccatum, mortem, infernum, tyrannidem  
Satanæ & acerbissimas calamitates, & hac ipsa voce per-  
ditos & damnatos, parentes nostros ex orco faucibusq;  
inferorum reuocauit, inq; vitam restituit, & voluit quoq;  
ut dulcissimam & saluberrimam illam Euangeliū pro-  
missionem retinerent ipsi firmiter, & ad posteritatem  
quæ futura erat multiplex & copiosa, tanquam præcla-  
rum depositum magniç precij thesaurum transmitte-  
rent, tamen euentus docuit, quantumuis Adam in eo  
thesauro custodiendo laborasset & propagando adui-  
gilasset, parum ea diligentia profectum fuisse. Nam mul-  
tiplicato genere humano, statim suborta est religionum  
confusio tetra & abominanda: Sicuti illa Genesis 4. 5.  
& 6. Capitibus descripta est, ac usq; adeo crevit & inua-  
luit, cum in posteris Cain, tum etiam in Ecclesia filio-  
rum Dei, ut tandem diluuium vniuersale, quo vniuer-  
sum genus humanum, exceptis tantum octo animabus  
periit, acceleraret & prouocaret. Anno mundi 1656.  
Ætatis Noe 600. Aquis vero vniuersalis diluuij subla-  
tis Anno mundi videlicet 1657. & terra rursus arefacta,  
cum Noe egressus esset ex arca, commendauit ei Deus  
custodiam, & propagationem verbi sui diuinitus pate-  
facti, & hanc familiam voluit esse testem & propagatri-  
cem veræ doctrinæ. Verum quām fœliciter illa familia,  
in qua sola tunc erat vera Ecclesia, per manus sibi tradi-  
tum depositum asseruauerit & retinuerit, res ipsa loqui-  
tur. Nam Anno mundi 1789. ætatis Nohæ 733. Anno  
133. post diluuium, quo tempore orbis facta est diuisio,

B 3 inter

Ante filios & nepotes Nohæ exorta est propter impietatem ædificatorum turris Babylonicæ, linguarum confusio, quam secuta est totius religionis in vniuerso genere humano horribilis inclinatio, & quidem tanta, ut ab eo tempore idolorum cultus in toto terrarum orbe inciperet. Itaque ne prorsus interiret religio & vox Dei in toto genere humano conticesceret, & ex omni memoria extingueretur promissio de venturo liberatore mundi, ac vera Ecclesia in genere humano esse desineret, à qua verus Deus coleretur & celebraretur, miranda bonitate euocatus est ex VR Chaldeorum Abraham, cui promissio de Messia renouata fuit, ac viua voce tradita & commendata. Accidit ea vocatio Abrahæ anno mundi 2024. Post obitum Nohe anno 16. aut circiter. Ita Nohe adhuc superstite orbis repletus fuit Idolomania & impijs opinionibus de Deo quantumuis reclamaret & contradiceret. Hæc vero quantum excruciauerint ac torserint tanti viri pectus, nullis verbis, nulla eloquentia consequi possumus. AEternus igitur Pater cum vocem doctrinæ cœlestis adulterari & depravari cerneret, iterum peculiari reuelatione pro sua ineffabili misericordia, Abrahæ verbi custodiam demandauit, & ad eius familiam vniuersalem illam promissionem de Messia Seruatore mundi alligauit, conspicuo signo addito circumcisio nis videlicet, qua familia Abrahæ à reliquo mundo distingueretur, & illustris aliqua nota extaret, Vnde Messias expectari & doctrinæ sacræ puritas peti deberet. Ac mansit quidem in posteritate Abrahæ, quemadmodum Deus ipse Genesis 18. fore promiserat, Scio, inquit Dominus, quod præcepturus sit filius suis & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam, vt adducat Dominus super Abraham omnia quæ locutus est ad eum. Isaac enim & Iacob retinuerunt tradit

traditionem promissionis & diligenter vrserunt in familia sua quamdiu vixerunt. Estq; D. Lutherus, sicut ex Commentario eius in Genesin Capite 25. patet, in ea opinione, quod Abraham libellum quendam aut histrio lam composuerit, ab Adam usq; ad sua tempora, in qua complexus sit doctrinam de Deo & veris cultibus, idq; in gratiam Isaaci filij & posteriorum, ut eo diutius verae doctrinæ possessionem incorruptam apud se retinerent. Sed hæc in præsentia mittamus. Postquam vero Jacob è viuis sublatus est, & duodecim Patriarchæ diem suum obierunt, rursus ingens doctrinæ inclinatio secuta est, cuius etiam in Propheta Ezechiele Capite 20. mentio fit. Vix enim 196. anni elapsi sunt, inter obitum Jacob & mortem Patriarcharum, & in tam breui temporis spacio, ita posteri Iacobi & Patriarcharum degeneraverunt, vt tetrads Idolomanijs se se polluerent, & puritatem doctrinæ per manus sine scripto traditam sibi scelerate corrumperent, licet non penitus abiicerent. Tam mirabiles vices habuit patefactio & custodia verbi diuinitus reuelati & traditi hominibus, postquam semel scriptura Dei ex corde humano erasa & deleta est.

Longe breuius quam rei magnitudo & amplitudo postulat, complexus sum historiam reuelati & propagati cœlestis depositi ad Mosis usq; tempora. Numerantur enim ab initio mundi conditi usq; ad educationem populi Israelitici ex AEGypto anni 2454. & à primo anno vocationis & peregrinationis Abrahæ, qui incidit in annum mundi 2024. anni 430. Sequitur nunc quasi secunda scripturæ ætas. His enim annis exactis Deus opt; max; secundo coepit scriptionem verbi, & ipse initium eius fecit, ac deinceps patesfactiones suas literis consecrauit & mandari etiam præcepit. Vedit enim quanta esset improbitas & imbecillitas cordis humani, quam cito obliuiscere

uisceretur patesfactionum diuinarum. Animaduertit  
quam astutis dolis & doctis fabricis Satan potuerit e-  
uertere, deprauare & corrumpere promissionem per ma-  
nus traditam. Voluit igitur certis monumentis consi-  
gnari omnes suas promissiones & vniuersam mundi &  
Ecclesiæ suæ historiam.

Origo ergo & initium Scripturæ Sacræ, Sicuti ea  
nunc certis libris comprehensa est, ipsum æternum &  
omnipotentem Deum conditorem generis humani ha-  
bet autorem. Nam Exodi capite 32. sic legitur: Et reuer-  
sus est Moses de monte portans duas tabulas testimonij  
in manu sua scriptas ex vtraq[ue] parte, & factas opere Do-  
mini, scripture quoq[ue] Dei erat sculpta in tabulis. Hæc  
narratio ostendit, Deum ipsum rationem comprehen-  
dendi literis puritatem verbi non tantum instituisse &  
mandasse, Sed testatur etiam, quod illam primus scriptis  
verbis Decalogi suis digitis, initiauerit, dedicauerit, &  
consecrauerit. Nequaquam enim ab hominibus vel an-  
gelis Scriptio Sacrorum Bibliorum inuenta vel incoata  
est. Et hinc maiestas huius evidentior fit, & augustior,  
cum constet ipsum conditorem cœli & terræ suis digitis  
cœpisse exarare, ac prima quasi lineamenta huius summi  
& excellentissimi operis ducere, quo si carendum esset  
Ecclesiæ, maiores tenebræ futuræ essent in genere hu-  
mano, quam fuisse quondam perhibentur, cum AEthi-  
neorum ignium irruptione adeo horribili solem obscu-  
ratum fuisse ferunt ut per biduum nemo mortalium al-  
ter alterum agnosceret. Optandum autem esset certo  
sciri posse, quando & à quibus singuli Sacræ Scripturæ  
veteris præfertim Testamenti, libri scripti essent. Sed  
sufficiat nobis quod immota autoritas & certitudo li-  
brorum in Biblico codice comprehensorum constat, li-  
cet de tempore & autoribus scriptionis non ita exactam  
noticiam habere possimus.

Mihil

Oriu Libe.  
raro  
Vnde.

Mihi quidem vehementer placet Sententia D. Lutheri piæ memoriaz, qui in suo Chronico annotauit, Quinq<sup>3</sup> libros Mosi, qui vslitate Pentateuchus dicuntur, in deser<sup>to</sup> natos esse. Nam Exodi Cap: 34. leguntur hæc verba: Deus dixit ad Mosem, scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israel pepigi fœdus: Huic mandato acquiescens vir Dei Moses consignauit reuelationes diuinæ & monumentis ad usum totius posteritatis consecrauit. Voluit enim Deus opt: Max: Ecclesiam suam certum doctrinæ cœlestis corpus & quasi historiam habere, ne omni vento doctrinæ circum ageretur & Satanæ præstigijs multiplicibus semper exposita esset, qui per sua organa inde ab initio varie corrupit & deprauauit doctrinæ, per manus traditæ, puritatem. Sed priusquam ad reliqua progredior, recitabo hoc loco ex Rabbi Mose Kymhi quædam non iniucunda, à quibus videlicet Scriptoribus diuina volumina veteris Testamenti conscripta fuisse, opinentur Iudæi. Ea vero sic habent. Moses, inquit, Scripsit Pentateuchum, præter octo versus in Deuteronomio, qui sic incipiunt: Mortuusq; est ibi Moses Seruus Domini in terra Moab iubente Domino. Kymhi etiam tradit, librum Hiob per Mosen conscriptum esse.

Iehosua vero teste eodem Kymhi, scripsit librum suum, & octo versus de lege Deuteronomij ultimo, ab eo. Et mortuus est Moses usq; ad finem.

Samuel autem scripsit 1. & 2. Samuelis seu Regum & Iudicum & Ruth.

Iesaias librum suæ Prophetiæ & Proverbiorum. Item Cantica Canticorum & Ecclesiastis.

Ieremias Prophetiam suam & 3. & 4. Regum & Threnos: viri Synagogæ maioris Scripsierunt librum. Ezechielis & librum 12. Prophetarum minorum, librum Danielis & Volumen Esther.

C. David

Rabbi Mose  
Kymhi

Daniel & decem Prophetæ scripserunt librum Hymnorum hoc est Psalmorum.

Esdras scripsit librum suum, & Genealogias verborum dierum, id est Paralipomenon vsq;. Et fuerunt sibi fratres filii Iehosaphat. Hactenus Kymhi. Sed hæc non per omnia certa sunt & indubitata. Nam de 34. Capite Deuteronomij commemorat Munsterus ex Rabinis, quod Iehosua vltimum Caput Deuteronomij longe post mortem Mosis scripserit. Sic de 1. & 2. Samuel; libris non satis constat utrum ipse Samuel illius historiæ scriptor extiterit. Certum est ex 1. Samuelis 25. quod Samuel mortuus sit ad gubernacula adhuc sedente Saule. Quomodo igitur potuisse scribere ea quæ gesta sunt à 25. Capite, vsq; ad finem primi: Multo vero minus ea literis mandare potuit, quæ in 2. Samuelis recitantur. Illa enim longe post mortem eius acciderunt. Verum de his in præsentia satis.

Itaque Deus ab eo tempore quo ipse exorsus est scriptiorum voluntatis & verbi sui patefacti, semper admiranda Prudentia & Consilio imperscrutabili excitavit præstantes Heroes, quos excellenti Sapientia & eximis donis præ infinitis alijs instruxit & impulit, ad Scriptiōnem sacrarum patefactionum ac voluntatis suæ, cum seueræ, quæ in legē traditur, tum propitiæ, quæ in Evangelio sonant, ut uniuerso orbi constaret, quomodo agnoscī inuocari & coli ab omnibus vellet. Et ad hanc suam voluntatem scriptis certis & indubitatis comprehensam omnes rationales Creaturas adeo seuerè alligauit, iuxta vocem Iesai: 8. Ad legem & testimonium &c, ut grauis simē minetur ihs, qui discedunt ab hac norma verbi ditionis, dicens: Qui non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis lux matutina, id est, omni consolatione destituentur, ruerent in desperationem & in æternos cruciatus præcipitabuntur.

Scripto-

Scripto autem & constituto hoc Canone Scripturæ  
Saceræ, & certis monumentis comprehenso, seuerè man-  
dauit pater æternus, vt hæc scripta fidelissime asserua-  
rentur, ac quotidie ab omnibus euoluerentur. Nam hæc  
est vox æterni Dei Deutero: 6. Scribes illa in postibus  
domus tuæ & in portis tuis. Sic Deuteronomij II. Et  
Deutero: 17. repetitur illud mandatum, quo Deus ipsos  
Magistratus alloquitur, inquiens: Quum autem sederit  
super Solium regni sui Rex, scribet sibi iteratam legem  
hoc in libro à conspectu Sacerdotum Leuitarum. Item  
Iehosuæ I. Non recedat liber legis iste ab ore tuo, sed  
mediteris in eo, die ac nocte, vt custodias & facias se-  
cundum omne, quod est in eo: tunc enim secundabis  
vias tuas, & tunc intelliges.

Ac fuit reuera ingens & inenarrabile beneficium,  
quod Deus huic populo Israelitico, non solum dedit le-  
gem & ceremonias, constituit certam Politiam: Sed vo-  
luit etiam in illo populo esse Academiam, id est certam  
sedem doctrinæ & officinam suarum patefactionum, &  
Bibliothecam librorum Propheticorum, deniq; hospiti-  
um nascentis & concionantis Messiæ. Sed vt de rebus  
maximis & amplissimis summatim, & quasi in transcur-  
su dicam, miranda sapientia & ineffabili bonitate æter-  
nus Pater Domini nostri Iesu Christi, Quinq; distincta  
& illustria regimina Populi Israelitici, quæ usq; ad tem-  
pus exilij Babylonici durauerunt, instituit & conserua-  
uit.

Primum regimen commissum fuit Mosi & Aaroni,  
quod durauit annis 40. in deserto, ybi magna fuit istius  
populi gloria, quibus annis Canon Scripturæ conditus  
est publicatusq; ac aureum quasi seculum suum habuit.  
Tam enim copiosæ & excellentes patefactiones in de-  
serto acciderunt, vt nulla ætas similes viderit, usq; ad  
Messiæ tempora.

C

Secun-

Regi-  
men,

Secundum regimen fuit sub Iehosua annis 32. post obitum Mosis. Quamdiu igitur Iehosua vir Dei & Heros præstantissimus in virtutis fuit, & autoritate sua, quam diuinitus acceperat, hunc populum rexerat, retinuit thesaurum Biblicum incorruptum. Iehosua enim fidus Dux gentis Israeliticæ & Serio vetitatis Zelo ardens, vigilabat pro lege & grege, Sicut ex 23. & 24. Iehosuæ Cap: liquet. Eo vero extincto & ad cœlestem consuetudinem euocato, nouum quasi exortum est seculum, quod turpissime ab auita pietate degenerauit, & procul à norma Scripturæ, quæ diuinitus constituta, stupendisq; miraculis illis confirmata & attributa erat, discessit. Sic enim Iudicum 2. Cap: scribitur: Mortuus est Iehosua filius NVN famulus Domini centum & decem annorum, & sepelierunt eum in finibus possessionis suæ in Thimnathesere, in monte Ephraim à Septentrionali plaga montis Gaas (anno mundii 2527). Anno post exitum 72. gubernationis suæ, anno 32.) omnisq; generatio congregata est ad Patres suos: & surrexerunt alij, qui non nouerunt Dominum, & opera quæ fecerat cum Israel.

Tertium igitur regimen administrarunt Iudices, qui diuinitus in hoc populo excitabantur. Toto autem hoc tempore iudicium, quo in precio habita fuerit Canonica scriptura, diuinitus inspirata, ex 2. Capite libri Iudicum cuius verba iam citauimus, facile adparet: Et in eodem libro Cap: 21. satis manifeste proditum est. Nam ibi scriptura diserte dicit: In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisq; quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

Versabantur igitur homines tunc in densissimis tenebris, & maximarum rerum ignoratione, Sacerdotibus officium suum deserentibus, & cessante doctrina in Synagogis & loco quem Dominus peculiariter sibi elegerat, ut sui nominis ac glorio sarum patefactionum memoriam

moria ibi conseruaretur & propagaretur. Ac durauerunt  
hæ plusquam AEgyptiacæ tenebræ, & tristissima rerum  
diuinarum ignorantia, per annos amplius trecentos, ad  
Samuelis usq; ætatem.

Quartum regimen fuit Samuelis Prophetæ, qui solus  
fere 30. annis gubernauit Ecclesiam Israeliticam, donec  
Saul in Regem eligeretur. Incidit autem nativitas eius  
in annum mundi 2819. Annum exitus 366. & 9. Annum  
gubernationis Eli Sacerdotis. Quam verò tristis & æ-  
rumnosus status Ecclesiæ & Scholarum sub Sacerdotio  
Eli fuerit, & quam ignotus etiam ipsis sacerdotibus &  
Leuitis, Canon Scripturæ Sanctæ, abunde testatur. I. li-  
ber Samuelis Cap: 3. his verbis. Puer autem Samuel mi-  
nistrabat Domino coram Heli, & Sermo Domini erat  
preciosus in diebus illis, non erat visio manifesta &c.  
Quantos ibi labores sustinuerit Samuel, ut Scripta Bi-  
blica quæ hactenus delituerant, rursus in lucem profer-  
ret, & Populum vagantem ad fontes Israel reuocaret, fa-  
cile intelligit is, qui aliqua ex parte nouit, quantæ sit  
molis doctrinam & cultus diuinos prorsus collapsos, &  
iam diu intermissos, denuo instaurare.

Et hic vt D. Lutherus pīx memorīæ, in suo Chronico  
scribit, incipit tempus Prophetarum Acto: 8. Omnes  
Prophetæ prædixerunt dies istos. Vnde etiam in Ebræo  
libri Regum Prophetæ Maiores vocantur. Et recte: plus  
enim est in illis Prophetarum, quam Regum gubernaz-  
tionis. Durauit autem Samuelis gubernatio annos 40.

Quintum verò fuit sub Regibus, idq; durauit usq; ad  
Exilium Babylonicum annis fermè 467. Electus enim  
est Dauid in regem anno gubernationis Samuelis 33. Ac  
retinuit eius posteritas clauum gubernationis totidem  
ferè annis, vti diximus. Quantæ verò & quam mirabiles  
vices ac mutationes sub Regibus acciderint, longum

C 3 esse.

esset percensere. Sub Davide & Salomone floruit do-  
ctrinæ cœlestis studium, floruerunt artes & disciplinæ  
honestæ. Post obitum vero horum præstantissimorum  
Regum, qui suis etiam scriptis diuinitus inspiratis Ca-  
nonem scripturæ adauxerunt, tristissima tempora secu-  
ta sunt, & tenebræ horribiles omnia passim loca, tem-  
plum ipsum & Synagogas quoq; impleuerunt. Reliquit  
quidem Deus lucem aliquam in Regno Iudæ, Postquam  
io. tribus ab eo auulsæ essent, & cum regno nouam Ido-  
latriam instituissent, turpissimeq; à vero Deo & Canone  
scripturæ defecissent: Sed tamen quam tristis & ærum-  
nosus fuerit Ecclesiæ, templi Hierosolymitani, & Syna-  
gogarum status abunde docent libri Regum & historia  
Prophetarum Iesaiæ Hoseæ, Michæ & reliquorum qui  
Synchroni fuerunt. Capite verò 22. lib: 4. Regum, Re-  
gnante Iosia, cuius 13. anno Ieremias Prophetare cœpit,  
anno mundi 3316. indicatur, tantas tunc tenebras fuisse  
in doctrina religionis, tantamq; & tam crassam Sacro-  
rum Scriptorum ignorationem, ut amissus etiam fuerit  
Codex Sacrorum Bibliorum. Nam Pater Ieremiæ Pro-  
phetæ Helcias eum rursus, cum per multos annos ab-  
sconditus delituisset, à tineis ferme & blattis consum-  
ptus, in lucem produxit, regiq; Iosijæ legendum misit.  
Verum hæc ob temporis angustiam prolixius persequi  
non licet: Ieremiæ vero Cap: 36. (qui circiter 40. annis  
fuit in ministerio Prophetico & ultra.) Scribitur quod  
Rex Hierosolymitanus Zedechias combusserit librum  
Prophetiarum eius. Tali fauore tunc prosequuti fuerunt  
Reges Iehudæ Sacros codices, fontes omnium bonorum  
& thesaurorum cœlestium.

Regnum verò Israel postquam semel defecit à vero  
Deo, & abiecit Sacrae scripturæ Canonem sibi diuinitus  
traditum, non desit prius ruere contra verbum & Pro-  
phetas

phetas diuinitus excitatos & missos ad se, Eliam videlicet, Eliseum, Hoseam, Amos & reliquos, quam propter horribiles Idolomanias & alias tetras confusiones prorsus deletum est, postquam annis 244. Vel ut alij volunt 253. stetisset. Sicut historia illa 2. Reg: 17. descripta extat.

Sequitur nunc tempus captiuitatis Babylonicae, quae durauit annos 70. iuxta Ieremiæ Vaticinium Cap: 25. Omnes gentes istæ seruient regi Babylonis 70. annis. Incidit autem Captiuitas Babylonica in annum mundi 3357. Neque vero mirum esset, si in ista horribili confusione rerum omnium, deleta Hierosolyma, combusto templo, occisis principiis Sacerdotibus, Propheta Ieremia in Aegyptum abducto, & tandem ab Aprye tyranno occiso, ac tantum reliquijs quibusdam Populi reseruatis, funditus extincta esset vera religio, & liber Domini prorsus amissus. Nam vastata vrbe, desolato & in cineres redacto templo, haud dubie etiam Bibliothecæ combustæ fuerunt, vtricibusq; flammis absumptæ. Quantum damni ibi accepérit Ecclesia, nulla eloquentia, nullis lacrymis satis potest deplorari. Amitti enim sunt in ea direptione urbis & templi conflagratione aliquot libri, quorum iactura nulla vñquam Seculo reparabilis est. Id quod ex ijs qui restant animaduerti potest. Nominaantur enim quidam libri in Sacris Biblijs Numeri 21. 1. Paralip: 9. 12. 13. 20. 32. Item 3. Reg: 4. & alibi, qui iam nusquam extant. Quis autem non vehementer doleat tam præstantium & diuinitus excitatorum virorum liberos in hanc fortunam incidisse: Statuas aut picturas elegantes magnorum virorum magno cum dolore amittimus, quas vel propter artis bonitatem, vel propter memoriam eorum, quos representabant, si fieri posset, æternas esse optamus. Quantò magis dolere debemus tot præclarissimorum monumentorum interitum,

quæ

quæ non modo propter Scriptorum pulcritudinem miramur, sed etiam propter utilitatem amamus. Neq; enim retineri Ecclesiæ & Republicæ sine literarum religionis, & bonarum artium, quæ certis libris comprehenduntur, cognitione possunt.

In hac ruina regni Iudaici, cum tota Gens ferè extincta & in tristissimam captiuitatem abducta esset: Deus miranda bonitate in ipsa Babylone excitauit Populo Israelitico nouos Prophesas Danielem & Ezechiem, quorum fido ministerio doctrina cœlestis propagata, & ipsis etiam gentibus communicata fuit. Ita ut gloria huius populi maior esset in ipso exilio, quam cum domi in propria terra degeret alta in pace. Horum ergo studio & diligentia diuinitus conseruatus fuit Liber Domini, & quod res ipsa docet etiam ampliatus & auctus. Voluit enim æternus Pater hunc sacrum librum testem essentiae & voluntatis suæ innotescere etiam Gentibus in magno illo imperio Regis Babylonizæ & procul spargi nominis sui gloriosam famam. Ostendit quidem Deus iram suam aduersus Ecclesiam deletione pulcerrimæ Politiae ad tempus, propter horribilem ingratitudinem erga verbum, & persecutionem atrocem, quam exercuerunt summi & infimi in populo Iudaico aduersus Prophetas, qui tradebant & propugnabant doctrinam cœlestem, quæ in libro Domini continebatur: Sed tamen in media ira sua recordatus est misericordiæ suæ, nec voluit prorsus extingui lucem verbi, & funditus deleri & excindi Ecclesiam. Ideo ineffabili Sapientia conseruavit Biblicum thesaurum, etiam in tristi illa dissipazione & pœnis totius Populi, vt Ecclesia post reductionem ex Babylonizco exilio rursus hoc ipso verbo colligi & instaurari posset. Nam sine verbo scripto & sincere prædicato, nulla Ecclesia in terris existeret.

Post

Post lætissimam igitur Populi Iudaici in Patriam redi-  
ctionem, quæ incidit in annum mundi 3426. & pri-  
mum Cyri Persarum Monarchæ, de quo excitati sunt  
Prophetæ excellentes Haggæus & Zacharias, quorum  
consilio & ministerio templum rursus extructum, Scho-  
lae erectæ, Bibliothecæ restauratæ, & Conuentus Eccles-  
iastici & Scholastici celebrari cœperunt.

Etsi enim reædificatio templi aliquot annis impedita  
fuit, edicto videlicet Cambysis usq; ad secundum an-  
num Darij Histaspis, 1. Esdræ 4. tamen interea aliqua  
collectio Ecclesiæ & Scholarum restauratio facta est, &  
liber Domini rursus de pulueribus extractus & in lucem  
prolatus fuit, ac studia religionis & doctrinarum caput  
aliquanto altius exerere & florescere cœperunt. Promoti-  
uit hanc rem Esdras scriba & Doctor legis, qui valde ce-  
lebratur propter pietatem, Sacrarum literarum cogniti-  
onem, & Zelum erga Ecclesiam & Scholas. Sic etiam  
celebrantur Nehemias & Iudas Maccabæus. 2. Macab: 2.  
Cap: propter ardens studium & Zelum feruentem erga  
scripturam diuinitus inspiratam. Ac commemoratur ibi  
quod Bibliothecas construxerint, & optimis scriptis eas  
exornauerint.

Quoniam verò Nehemias diutissimè vixit, attigit  
enim annum 130. & mortuus est anno mundi 3633. circa  
id tempus, quo Alexander Magnus Babylonem & Sus-  
san cœpit, ac Monarchia Persarum ad Græcos translata  
est, eò etiam magis floruerunt omnium doctrinarum  
studia in Populo Iudaico & tanto diutius puritas verbi  
diuini Sarta tecta mansit, ac liber Domini apud omnes  
in precio habitus est. Fuerunt etiam initia Monarchiæ  
Græcæ non infausta Genti Iudaicæ. Nam Alexander  
Magnus ἀντομοίᾳ ip[s]is concessit, & mediocri tranquil-  
litate vsa est Ecclesia Iudaica sub Macedonicis Regibus,

D ferē

ferē vsq; ad Antiochi Epiphanis tempora. Annō enim  
mundi 3684. sub Pontifice Eleazaro fratre Simonis Pto-  
lomeus Philadelphus Rex A Egypti, qui fuit studia  
doctrinarum, in precio habuit homines sapientes & do-  
ctos, amauit bonos libros, instruxit copiosissimam Bi-  
bliothecam Alexandriæ & inquisiuit apud multas Gen-  
tes vetera monumenta, omnes Iudæos qui in A Egypto  
erant liberos esse permisit, & vasa sacra Eleazaro Pontis-  
fici, quæ olim Iudæis adempta erant, remisit, Sacrorum  
etiam librorum interpretes ad se mitti petiuit. Hoc ipso  
facto eternus Pater, cum apud Iudæos tum apud Gentes  
etiam cœlestis doctrinæ studia accendere & propagare vo-  
luit quæ tunc in gente Iudaica paulatim ruinam mini-  
tabantur, sicut à Propheta Zacharia prædictum fuerat.

Conuersi igitur sunt libri Sacri in Græcam linguam à  
70. interpretibus, & ea translatione multis gentibus  
facti notiores, & latius propagata vera doctrina de Deo.  
Eo etiam consilio Deum illam translationem promouisse  
non dubium est, vt videlicet gentes ea quasi præpara-  
rentur ad Messiae aduentum, & promulgationem Evan-  
gelij, quæ tunc non ita procul aberat, ne doctrina de  
vno vero Deo & promisso liberatore, quæ in hoc solo  
Populo florebat, mundo prorsus esset incognita. Facta  
est versio illa circa annum mundi 3696. post obitum E-  
leazari.

Temporibus autem Antiochi Epiphanis, cuius gu-  
bernatio incidit in annum mundi 3790. rursus horribilis  
& Sœua tempestas Ecclesiam & Scholas obruit, dissipas-  
tis ciuibus & incolis terræ Sandæ. Epiphanes enim Sœ-  
uam tyrannidem exercuit aduersus Ecclesiam, bis occu-  
pauit Hierosolymam. Et cum secunda vice occuparet  
anno 8. regni sui, proposuit furiosum & blasphemum  
edictum. i. Maccab; i. Cap; de abolenda lege Mosi, de q;  
nouis

nouis cultibus instituendis. Erexit abominationem desolationis super altare , libros etiam legis , qui innenti fuerunt, concerpi atq; igne concremari iussit. Apud quemcunq; etiam liber fœderis deprehensus est , aut si quis faueret legi, is edicto Epiphanis per Præfectos ciuium morte mulctabatur. Hanc tyrannidem furiosi regis in gens defectio secuta est in vniuerso Populo & inclinatio doctrinæ tanta, vt ad Christi usq; Messiae tempora Religio vera & Liber Domini pristinum suum nitorem & splendorem non recuperauerint. Et si enim Iudas Macabæus & eius posteri, vt dictum est supra , restituerunt templum, exerunt Scholas, constituerunt docentes in Scholis, inquisiuerunt Scripta Biblica, & in Bibliothecas reposuerunt, & sic denuo accenderunt doctrinarum studia: tamen non ita multo post sub Iohanne Hyrcano, anno videlicet mundi 3833. aut circiter, exortæ fuerunt tres Sectæ apud Iudeos, Phariseorum vna, Altera Essenorum, Sadducæorum tertia, quæ Sectæ, qualia & quam tetra Portenta opinionum Prodigiorum consinixerint, partim Iosephus lib: 13. Antiqui: Cap: 8. partim Euangelistæ in Nouo Testamento indicant.

Hic rursus quasi amissus fuit liber Domini. Sadducæi enim omnes Prophetas præter Mosen abiecerunt. Pharisæi autem licet scripta Prophetarum retinerent: tamen vniuersam fere doctrinam in libro Domini traditam despauarunt, & plane in Philosophiam transformarunt. Quid enim cum de lege tum de promissionibus docuerint, ex Evangelica historia manifestum est. Doctrina ad eum modum obscurata, paulatim maiores tenebræ Populum Iudaicum adobruerunt, & durarunt usq; ad aduentum Messiae Saluatoris nostri, annos circiter centum & nonaginta. Hactenus de Secunda ( vt ita loquar) Scripturæ actate.

D 2 Nunc

Nunc porrò quasi tertiam eiusdem ætatem videamus.  
Anno enim à mundo condito 3992. ætatis Christi 30.  
rursus emergere cœpit Sacrorum Bibliorum volumen.  
Nam filius Dei, qui missus erat ab æterno Pâtre, ut ges-  
nus humanum à peccato & morte redimeret, Simul eti-  
am doctrinam cœlestem à fôrdibus, quæ ei adspersæ fue-  
rant per Phariseos, Saducæos & alios, repurgauit, &  
Bibliorum Codicem situ & squalore obsitum in lucem  
produxit, commendatiorem reddidit, proq; cœlesti sua  
ac diuina Sapientia veram ac natuam legis & promissi-  
onum diuinarum sententiam exposuit. Scholam etiam  
instituit, in quam cooptauit aliquot discipulos, quibus  
legem & Prophetarum scripta interpretatus est, & ins-  
truxit ferme per quadriennium, ut redderentur idonei  
Doctores totius orbis terrarum. Per vocem enim Apo-  
stolorum propagaturus & diuulgaturus erat Euangeliū  
doctrinam per vniuersum mundum. Marci 16. Matth;  
28. Lucæ 24. Ita rursus accensa fuerunt diuinitus studia  
doctrinarum, & à pluribus cœperunt euolui scripta Bi-  
blica, quæ licet non omnino ex hominum memoria de-  
leta essent, sceleratissime tamen erant corrupta & deprava-  
ta.

Fœlicissimum hoc fuit seculum & tempus vere aure-  
um, quo ipse Filius Dei Dominus noster Iesus Christus,  
summum Doctorem in terris egit, Sacrorum librorum  
natuum intellectum, qui interciderat, restituit, Apo-  
stolos erudiuit, eosq; tanquam testes fide dignissimos &  
omni exceptione maiores in orbem terrarum emisit, vt  
omnibus gentibus sub cœlo annunciascent veram Dei  
agnitionem, studia doctrinæ cœlestis seu sacrorum li-  
brorum ubiq; accenderent, Scholasq; & Ecclesias colli-  
gerent, & ita Liber Domini orbi terrarum innotesceret.

Cum autem Domino nostro Iesu Christo conditori  
& re-

& redemptori generis humani omnia cederent, omnia  
prona essent, ministerio & voce Apostolorum, quos ad  
hanc ipsam rem singulari consilio delegerat, paucos in-  
tra annos doctrinam cœlestem per vniuersum orbem di-  
uulgauit, Ecclesiæ Scholasq; plantauit, idoneos Docto-  
res & interpres Sacrorum librorum exuscitauit, quo-  
rum mentes luce Spiritu S. ita perfudit, ut breui orbis  
noticia istorum librorum compleretur, & omnis gene-  
ris homines in omnibus statibus & ordinibus Scripta  
Prophetica legerent ac scrutarentur. Sicut Acto: 17.  
Cap: scriptum est.

Accreuit verò per Apostolos Canon scripturæ seu  
numerus Sacrorum librorum. Accesserunt enim Mosis  
& Prophetarum scriptis omnes libri authentici, qui uno  
volumine Noui Testamenti comprehenduntur. Scripta  
nimirum quatuor Euangelistarum. Acta Apostolica.  
Quatuordecim Epistolæ Pauli. Septem Epistolæ, Petri.  
Iohannis, Iacobi, Iudæ. Et deniq; Apocalypsis Iohannis.  
Qui libri simul complectuntur. 260. Capita. De quibus  
multa scitu dignissima & cognitu necessaria proferrem  
in medium, nisi temporis angustia obstat.

Tanta cum esset lux accensa in orbe terrarum, posset  
aliquis rerum imperitus existimare, impossile fuisse eam  
rursus extingui. Et mansit quidem post Apostolorum  
tempora aliquandiu, Sed longe tamen citius quam par-  
erat aut cogitari potuit, denuo obscurata est.

Hæretici enim varij exorti sunt viuentibus etiam &  
superstitibus Apostolis, qui suis præstigijs Scripturam  
peruerterunt, & vel ipsos Sacros Codices depravauarunt,  
vel ex instinctu Diaboli adulterinos pro veris libris Ec-  
clesiæ Christi obtruserunt, id quod abunde ex Ecclesia-  
stica Eusebij historia doceri potest. Et quoniam verba  
Egesippi, quæ Eusebius libro 2. Cap: 32. de statu Ecclesiæ

D. 3 illius:

illius temporis Apostolici recitat, valde illustria sunt & digna memoria, non grauabor ea paucis adsignare. Igitur ad ea usque tempora virgo pura & incorrupta mansit Ecclesia, ijs qui sanum Salutaris prædicationis Canorem corrumpere conati sunt, Situm aliqui fuerunt in obscura quadam caligine, ad id usque temporis delitescentibus. Postquam autem Sacer Apostolorum Chorus differentem sortitus est finem, & generatio illa præteriit, quæ diuinam Sapientiam ipsis auribus audire meruerat, tunc impij erroris conspiratio per seductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium cœpit, qui etiam, quoniam nemo amplius superstes erat ex Apostolis, iam nudo vertice contra veritatis prædicationem falsi nominis scientiam ex aduerso prædicare conati sunt. Hæc Eusebius ex Egesippo, &c.

Præstiterunt quidem aliquid Apostolorum discipuli. Ignatius, Polycarpus, Irenæus, Pantænus, & quidam alij præstantes Ecclesiæ Christi Doctores, qui magno studio & singulari industria conquisiuerunt Autographa Apostolorum & adulterinos à certis & veris Apostolorum libris discreuerunt. De Pantæno enim nominatim refertur, quod Euangelium Matthæi Hebraicum manu Bartholomei exaratum, ex quo Christum Bartholomeus prædicasse dicitur, in India repertum, secum Alexandriam reportauerit. Sed nulla diligentia humana præcaueri potuit, quin crescentibus peccatis mundi, pauperrim tenebræ clarissimam illam Solis lucem rursus obscurarent.

Circa annum Christi 217, claruit Alexandriæ Origenes, is etiam aliquid studij ad illustrationem & Propagationem sacrorum Bibliorum contulit, & multorum studia

studia suo exemplo & industria excitauit. Constituit enim interpretationes & contexuit opus quod nominavit ἔξατλον, id est distinctum in sex lectiones seu columnas, quod opus adhuc Hieronymi tempore reliquum fuit.

Recenset etiam Eusebius lib: 6. Cap: 21. historiam de Alexandro Episcopo Hierosolymitano & Pamphilo Præsbytero Cæsariensi & Martyre, quorum ille Hierosolymis nobilem Bibliothecam instituit, hic vero magno studio & industria Bibliothecam ( eodem Eusebio teste lib: 6. Cap: 32.) apud Cæsarienses instruxit, & cum Sacris codicibus tum etiam aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum libris exornauit, &c.

Voluit sine dubio diuina prouidentia aliquo modo mederi damno, quod præuidebat Ecclesiæ inferendum a Romanis imperatoribus, & alijs Tyrannis, qui sacra Biblia funditus abolere conabantur. Nam temporibus Diotletiani, qui gubernauit Imperium Romanum circa annum Christi 288. aut circiter, vndiq; conquisiti sunt libri Sacri & vltritibus flammis absumpti. Aliquos ergo libros aliquibus in locis & Bibliothecis conseruari voluit, ne prorsus ab istis immanibus beluis vniuersa Religio deleretur.

Constantino autem Magno Romani Imperij gubernante suscipiente, sicut Eusebius li: 3. de vita eius scribit, denuo reuocatum est studium doctrinæ cœlestis, & iterum producta Sacra Biblia, & tanquam lucerna ardens immensam posita, ut omnibus in vniuerso orbe sua face prelucerent, & iter ad salutem eternam adipiscendam monstrarent. Noluit

Noluit enim æternus Pater in genere humano vocem verbi sui prorsus conticescere. Accedit ergo pectus generosum Constantini Imperatoris, ut & hac ratione egregie de Ecclesia (sicut & in alijs) mereretur. Verba Eusebij de hac ipsa re commemorabo. Persecutores illi, inquit, libros diuinitus inspiratos igne cremari & aboleri præceperant, hic contra etiam illos ex Imperialibus thesauris multiplicari mandabat.

Sed quemadmodum ut paulo ante dictum est, ante nativitatem Messiae Liber Domini seu Codex Sacrorum Bibliorum varias vices expertus est. Ita à temporibus Christi & Apostolorum non minus quam antea varijs mutationibus obnoxius fuit, Satana satagente eum vel hæreticorum præstigijs & adulterinis libris diuulgatis conuellere & deprauare, vel certe per Romanorum Imperatorum tyrannidem & ignes, penitus abolere.

Harum præcipuas hucusq; percensuimus & quidem breuius quam par erat & rei magnitudo postulabat. Iam dies nos deficeret, si sequentium temporum vices, non dico omnes numerando percensere: Sed potissimas, illæ lustriores, maximeq; conspicuas paucis stringere vellem.

Quid enim Sathan per Julianum Apostatam molitus sit, qui conatus est abolere sacra Biblia, & interdixit Scholas Christianorum liberis, luce meridiana clarus est, & omnibus qui historias legerunt, quibusq; antiquitas aliquo saltem modo nota est, liquet.

Neq; verò verba satis idonea reperio, quibus vel tenuiter saltem exprimam temporum iniquitatem sub Romanis Pontificibus ab anno Salutis Sextentesimo, quo simul Pontifical Idolomania & Machometi furor initia sumserunt & incrementa. Etsi enim aliqua in illa horrenda mutatione generis humani & tristi contusione Imperij Romani mansit Ecclesia ad Husi & D. Lutheri

vscq;

vsq; tempora, & diuinitus seruatæ fuerunt reliquiæ Ecclesiarum & Scholarum quæ Ecclesiæ seminaria sunt, conseruata etiam sacra Biblia, Scripta videlicet veteris & noui Testamenti: tantæ tamen tenebræ in Ecclesiæ irreperserunt, introductæ à Monachis & alijs Pontificiæ turpitudinis patronis, posterioribus præsertim temporibus, ut verus & nativus sensus libri Dominici ferè prorsus obscuraretur, & tandem ipsa quoq; Biblia abijcerentur, nec amplius publicè in Ecclesia legerentur, & explícarentur. Ab una enim parte Satan per Machometum prorsus aboleuit Sacra Biblia, & infinitam introduxit licentiam fingendi dogmata pugnantia cum libro diuinus inspirato. Ab altera vero parte, licet non prorsus exploserit Sacra Biblia, ita tamen per Cœnum humanae traditionum ea adobruit, ut non intelligerentur, imo paucissimis etiam vel visa vel lecta essent, ô tristia tempora, ô horrendas tenebras.

Negari certe haud potest, ante Lutheri tempora multos fuisse Theologos, qui per omnem vitam suam Sacra Biblia non legerint, plures qui ne viderint quidem, plurimos Ecclesiarum Pastores, qui non solum non viderint vñquam, sed ne quidem præcepta Decalogi tenuerint.

Instantibus ergo postremis & nouissimis temporibus, & die iudicij magno, æternus Pater iuxta diuitias misericordiæ, in filio respexit nos ex alto, & in tenebris ac vmbra mortis sedentibus sine luce verbi, sine cognitione libri illius, qui solius Ecclesiæ in terris vnicus est thesaurus, & patrimonium amplissimum, & sine cuius notitia nulla salus patet, nulla firma animorum consolatio haberi, nulla vitæ & cultuum diuinorum certa & immota regula teneri potest, ex immensa & inexhausta sua bonitate Turcis in Græcia omnes Scholas doctrinarumq; studia vastantibus, primum vtriusq; & latine & Græcae

E

lingua

Linguæ studia resuscitauit, Græcis hominibus in Itiam se conferentibus, & literas ac Philosophiam ex Græcia secum asportantibus, ut quasi viam quandam hac ipsa ratione sterneter ad purioris doctrinæ, quam tunc molestiebatur, fœliciorem instaurationem.

Accensis itaq; literarum studijs in Italia, Germania, Gallijs &c. tandem virum Dei D. Martinum Lutherum ultimum sine dubio Germaniæ imo totius mundi Eliam & Prophetam excitauit, cuius diligentia singulari & fide inimitabili sacra Biblia vtriusq; instrumenti in lingua Germanicam, e fontibus Hebræis & Græcis ea dexteritate & perspicuitate tanta, conuersa sunt, ut omnium sanctorum iudicio & testimonio tanta perspicuitate in nulla alia peregrina lingua extent, aut extiterint vñquam.

Hac ipsa conuersione Bibliorum per Lutherum facta, accensa sunt & aliorum doctissimorum virorum studia, qui admirabili industria e fontibus, Sacram scripturam non solum in latinam, verum etiam in præcipuas linguis omnium ferme gentium & Populorum transfuderunt. o fœlices & beatos Germanos si sua bona norint.

Tanta enim doctrinarum lux & præcipue verbi diuinii hac ratione effulgit non tantum in Germania, sed & in vicinis & procul dissitis gentibus, quanta vix inde usq; ab Apostolorum ætate, in Ecclesia Iesu Christi fuit, profligatus est hoc fulgore Sacrorum librorum Antichristus Romanus cum Idolomania sua, & turbatus est in templis, monasterijs, & Scholis.

Fruitur nunc carissima Patria nostra Germania præcioso thesauro illo, vtinam verò recte ac diu frueretur, & ad suam æternam salutem conuerteret, Deoq; optimo maximo, qui in hac postrema mundi senecta per electum organon suum D. Lutherum piæ memoriae, tam mirabilem Scripturæ Sanctæ lucem in vniuerso terrarum orbe ac-

be accendere, atq; ante nouissimum aduentus sui diem, mundum illustrare voluit, sinceris peccatorum motibus gratias ageret: Sed vetus gratia dormit, vt inquit ille, & homines sunt immemores. Nihil enim tam citò senescit, ac memoria accepti beneficij. Rursus igitur horribiles tenebræ ingruunt, quæ paulatim lucem omnium doctrinarum, præcipue verò Sacrorum Bibliorum, obscurabunt.

Etsi enim usq; ad diem restitutionis omnium, Filius Dei Ecclesiam aliquam in mundo seruabit, & alicubi erunt & manebunt literarum studia, & sacræ scripturæ lux atq; intelligentia fulgebit: tamen ipsa scriptura teste, talis erit postremi seculi status, ignorantia, cœcitas & securitas tanta, vt filius Dei cum venerit, vix fidem in uniuerso orbe inuenturus sit. *Lucæ 18.*

Hæc igitur sit qualiscunq; historica delineatio præcipi illius & in omni æternitate celebrandi operis diuini, quo æternus Pater inde usq; à condito mundo sese generi humano patefecit, & verè miranda ac ineffabili bonitate certam doctrinæ formam indubitatis monumentis comprehensam scribi curauit, ipseq; primus initiauit, dedicauit & consecrauit, & hucusq; aduersus totius orbis & omnium diabolorum furores ac rabiem clementer conservauit.

Restaret nunc, vt Scholasticæ iuuentutis & omnium piorum animos ad tanti thesauri amorem & seriam lectio nem ac meditationem grauissimis verbis & rationibus accenderem & inflammarem. Sed quia nimia prolixitate auditores magis obruuntur, quam excitantur, in aliud tempus exhortationem illam differam.

Quod igitur reliquum est, Ago tibi gratias æterne Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, quod ex immensa bonitate post lapsum te certo verbo & illustris

E 2 bus

Eius testimo*n*is patefecisti, tradidisti nobis firmum sermo*n*em Propheticum & Apostolicum & certum librum, in quo de essentia & voluntate tua nos doces, eumque in tantis Satanæ & mundi furoribus ac fatalibus regnum ruinis clementer huc usque conseruasti, & per doctrinam illius libri tui, etiam in hoc postremo seculo ex nobis tibi colligis Ecclesiam, cui te & omnia cœlestia bona communicas. Te etiam ardentibus gemitibus inuoco, ut deinceps quoque usque ad diem restitutionis omnium hunc librum Ecclesiæ tuæ, aduersus Satanæ, mundi, tyranorum & hæreticorum furores conseruare, nec propter peccata nostra quæ multa & magna sunt, nobis eripere velis, & passim pias Scholas potenti tua dextera defensare, ut sint & maneant officinæ aliquæ pietatis & veritatis in mundo, in quibus verbum tuum pure doceatur, veteres & recentes blasphemiarum cum eo pugnantes refutentur, artes & disciplinæ honestæ floreant, Præceptores in omnibus facultatibus recta & utilia doceant, ac iuuentus Scholastica salutaria sibi & alijs addiscat, ut multos in his terris cultores habeas, & aliqua tibi Ecclesia etiam ad posteritatem colligatur, Amen.

D I X I.

HENDECASYLLABVM, M.  
LVDO: HELMBOLDI MVLHV SINI.

Quod scribi calamo, quod ore dici  
In primis deceat: quod audientes  
Aures, ac oculi probent legentes:  
Totum cui pateat fidele pectus.  
Nil est dignius, ob necessitatem  
Maiorem, comitante commodorum.

AEterna

A Eterna serie , quibus carere  
Nec præsens, neq; vita scit futura.  
Nil est dignius hoc in orbe , nil est,  
Quam diuinitus orta Bibliorum,  
Et diuinitus hanc ad usq; lucem  
Propagatio salua traditorum.  
Sermo scriptus in ijs enim potenter  
Fert credentibus omnibus salutem.  
Quem si sustulerit , fide remota,  
Sublatam quoq; scit Draco salutein,  
Antiquus Draco : sensit Eua , sensit  
Euæ credulus hoc malum maritus.  
Deleri sibi passus in medullis  
Scriptum Spiritualiter Iehouam,  
Et legem sibi traditam , palato  
Fructus vnius arboris vetantem.  
Hoc verbo Domini , fideq; verbi  
Sublata , benedicta vita fugit.  
Amissus Paradisus est : maneret  
Crux æterna , nisi Deus redisset,  
Promittens muliebre semen : iras  
Audiuist coluber sibi paratas,  
Et poenast ideo furenter odit  
Hoc Euangelium : patet potestas,  
Qua grassatus , idemq; persecutus  
Est : totius ut orbis vniuersa  
Gens defecerit , atq; Noa solus  
Cum paucis steterit : Chamus remotis  
Vndis degenerauit : inde turris  
Sparguntur Babylonicae magistri.  
En Semí quoq; stirps adhæret aris  
Chaldæis : Abrahamus auocatus  
Paret , nomen & inuocat Iehouæ.  
Urbs lothum Sodomæa ferre nolens

E 3 Horz

Hortantem, perit: atq; proximorum  
Fit falsum mare, tota terra regum.  
Quin miracula post stupenda genti  
Multis edita seculis Iacobi:  
In regno Pharaonis, in Sinæo  
Deserto, neq; non in orbe lactis  
Et mellis fluuios habente: verbum  
Nolens vrbs Solymæa ferre Christi,  
Ceu nunquam steterit, solo recumbit.  
Ferro, peste, fameq; gens necatur,  
Aut gentilibus arcta colla vinclis,  
Inuito pede fert, gemente vultu.  
Hæc vis est Sathanæ, furore tanto  
Scripturam premit, impetitq; sacram.  
Si totum nequit amouere librum,  
Veram noticiam, fidemq; tollit.  
Stratagemate tentat hoc vel ipsum  
Christum, quem nihil approbare nouit,  
Scriptura nisi teste comprobetur:  
Idcirco cupiens ei volatum,  
Vel saltum temerarium, supremi  
Persuadere loco patente templit.  
Dauidem citat, inquiens: ministris  
Mandauit Deus Angelis super te:  
Ut portent manibus, tuosq; seruent  
Præduri lapidis pedes ab iectu.  
Scripturam potiore Christus ore  
Allegans, ait: haud tuum superbo  
Tentabis Dominum Deum periclo:  
Sic de pane, potentiaq; mundi,  
Reddit sollicitatus, atq; vincit  
Hostem Tartareum, fugatq; victum.  
Seu falso Biblicum citet volumen,  
Seu citra Biblicum volumen ausit Quicq;

Quicq; dicere : Christus ex eodem  
Promens omnia tela, vicit exit.  
Tanto robore praestat ille codex,  
Si vel cum Sathan geratur ipso  
Bellum: stat, superat, retroq; pulso  
Vasti principe Tartari, triumphat.  
Nedum vincere nesciat Papalem  
Quemuis, haereticumq; Cinglianum.  
Et quosuis alios : beatus omnis,  
Quem scriptura Dei tenet, iuuatq;  
Inscriptum superis habet tabellis  
Nomen : deleat hic licet, vel ille  
Regnum dominellus inferorum:  
Conuersatio nostra gaudet astris.  
Quas terris Deus inde misit olim,  
Saluas nunc quoq; literas habemus,  
Christi munere : munus hoc & auro  
Et gemma preciosius, meretur :  
Oratoria quicquid, & Poesis  
Lingua, vel calamo potest : vt ipse  
Scis Timothee, nec siles, sed ore  
Divinum celebras, manuq; donum.  
Tali tu celebratione gaudens  
Dauid, iuris amans, sciensq; Doctor.  
Qualis iam variante cunq; Luna  
Sors est, gaudia vera consequeris.  
Cum scriptura suo potita fine,  
Christum iudicij die reducet.  
Quæ sententia tunc feretur omnes  
In gentes: valitura sempiternis  
Seclis: solius ex libro feretur  
Christi præsidis, ipse quem Prophetis  
Dictavit, per Apostolosq; scriptum  
Omnis iussit ybiq; scire gentes,

Nil

**N**il tunc imperiale, nil Papale  
Decretum, modò præpotens, valebit.  
Freti vos Domini valente libro,  
Firmis Christiadis pares valete.

**M V L H V S I I**

**Excudebat Georgius Hantzsch, Anno**  
**M.D. LXXIX.**

**AM**

Jf. 4018

ULB Halle  
002 717 190


3



TA 700



**Farbkarte #13**



B.I.G.

2.  
ORATIO  
DE ORIGINE, CON-  
SECRATIONE, MIRAN-  
DA PROPAGATIONE, ET CON-  
SERVATIONE SCRIPTVRÆ DIVL  
NITVS INSPIRATAE.  
Timothei Kirchneri Theol: D.

